

Petrus de Vinea

*Ep. I 28 (Etsi tam iusta
quam uehemens causa...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 28 (Etsi tam iusta
quam uehemens causa...)*

1244-1245

Fridericus uniuersis mundi principibus, de sinistris rumoribus Terrae Sanctae

1. Etsi tam iusta quam uehemens causa doloris et motus fuerit in nobis, cum ad presentiam nostram frater S. a uenerabili patre patriarcha Antiocheno, dilecto amico nostro, presentium baiulus litterarum accessit, ipsum tamen infeste uidere nequiuimus, qui mittentem affectione quadam diligimus singulari. 2. Verum etiam tunc temporis cordis nostri neruum pertingerat rumor infestus et subitae nuntius tempestatis, qui Coheminatorum pestem ab originalibus sedibus Tartarea clade depulsam, uelut molem ingentem per abrupta montium et decliuum fulminis ictibus deuolutam, in Sanctam Ciuitatem irruisse crudeliter nuntiauit. 3. Quae forte desolationis suae tempore, habitatore continuo solita defensari, cateruatim undique concurrentibus populis colebatur, dederatque cursui famosi tamen loci longis retro temporibus a Christicolis maxime desiderata securitas, et sinistris auspiciis diebus illis obtenta quarumdam occasione treugarum, quas soldanus Damasci et Nathasar, soldanus Craci, qui prius hostes et aduersarii fuerant, concordiam inuicem facientes, ipsam cum Christianis ea condicione fecerunt, quod, tota regni Hierosolimitani terra, quam Christiani possederant trans Iordanem, retentis sibi uillis et montanis aliquibus, restituta, Christiani soldanis eisdem in expugnatione soldani Babiloniae deberent assistere toto posse. 4. Qua confederatione tamquam in sui perniciem inita, soldanus accinctus predictam gentem Barbaricam Coheminatorum per deserta uagantem, et uelut feram in saltibus ante uenabulum fugientem, ad suae defensionis auxilium conuocauit: qui sibi reputantes oblatum presidium potius

quam petitem, ad designata loca subito, non minus taciti quam celeres, peruenerunt, ut inuisos hostes aduenisse maturius nostrorum uigilantia nouerit, quam uenturos. 5. Sicque factum est, ut, Christianorum exercitu cum soldanis predictis in guerram soldani Babiloniae apud Gazaram commorante, patriarcha Hierosolimitanus de partibus Cismarinis ad partes illas athleta nouus accessit. 6. Quo superueniente, perfidae gentis metu in ciuitate Hierosolimitana una cum magistris domorum Hospitalis et Militiae Templi et uniuersis habitatoribus ciuitatis eiusdem, tamquam de humano presidio desperatis, noctis silentio salubriter procedentibus uersus Ioppem; emenso iam fere medietatis itineris spatio, ad cuiusdam uanae seu potius callidae procuratae uocis auditum, quae, Coheminarum natione deuicta, securum peregrinis et ciuibus reditum promittebat, omnes regionis et incolatus affectione seducti confestim ad uictimam potius quam ad patriam redierunt. 7. Nondum eisdem infra septa domorum respirantibus a labore, priusquam fere sarcinulas suas et itineris impedimenta deponerent, ecce, quod multitudo generis hostilis, quam dinumerare nemo poterat, uniuersam terrae faciem occupans, sic improviso sic subito continuatis impugnantium agminibus circumdedit ciuitatem, ut nec in defensione presidium nec in fuga consilium obsessis fidei nostrae pugilibus laxaretur. 8. Ambigentibus autem eis, cuiusmodi mortis genus eligerent ex predictis, tandem etsi nulla uia securior, saltem uisa uia est dilator, ut per fugae remedium aliquos a persequentium oculis cauernae montis imminuentis absconderent, et noctis circuitu aliqui manus occidentium et fessas euaderent, uel ut saltem unum ex omnibus de tantae cladis et periculi nuntium reseruarent. 9. Non defuit tamen inter tot aduenarum

hostium milia ductor et cognitor uiarum indigena, qui sufficientes insidiantium turmas, uelut per siluarum angustias uenatores, per ineuitabilia loca disposuit: in quorum manus quanto celerius fugerent, tanto rapidius caderent fugientes. 10. Sed fefellit, o proh dolor, euentus rei miserandae consilium: quia tamquam in rete paratum aubus, sic omnes septem milia fere hominum in gladium incidissent, ut, testantibus sanguinis occisorum per ualles montium sic profluentis aquae decursibus, nulla prorsus extitit pugna, sed cedes! 11. Infantes autem et uirgines in Vrbe Beata inuentos secum nequiter adduxerunt; senes, infirmos et debiles ac moniales, ad fugae laborem inhabiles, in urbe relictos, in ipsorum, quin potius in ipsius Dei nostri conspectu, sepulchro Domini uiolato, quod fuerat fidei Christianae uisibile nutrimentum, miserabiliter occiderunt! 12. Post haec, ad reconciliationem tanti discidii et totius rei publicae ac fidei Christianae uindictam, armauit, ut dicitur, omnes Orientalis plagae Christicolae: utinam prouida sicut prompta religio soldanorum Damasci et Craci, consortio, quod tamen iusto timore non caret, accincto. 13. De quorum euentu uelit Altissimus, pro cuius causa certatur, quod precurrentis famae perniciēs subsequentis rei prosperitate uincatur; anima tamen nostra, propter preteritorum casuum et futurorum euentuum metum in amaritudine posita, boni nuntii uerbum de terra longiqua sitienter expectat: eo quod magis anxiamur in spiritu, quo iustiori dolore torquemur in mente, uelut qui scimus haec potius contigisse culpa quam facto. 14. Dudum etenim uiro spectabili comite Cornubiae, dilecto sororio nostro, cum honorabili comitua nobilium Transalpina, in Vltramarinis partibus uices agente nostras, de consilio magistrorum Hospitalis et Sanctae

Mariae Theutonicorum et totius Christianorum exercitus pro parte nostra, qui iura dilecti filii nostri Corradi, in Romanorum regem electi, semper Augusti, et regni Hierosolimitani heredis tuebatur et, eiusdem regis et regni moderamine fungebatur, cum soldano Babiloniae supradicto treugas fideliter et prudenter iniuit. 15. Quas magister domus Militiae Templi cum ceteris terrae nobilibus indigenis et ciuibus Acconensibus ad speciale nostrae celsitudinis odium, non ad commune bonum habendo respectum, acceptare nullatenus uoluerunt: quin potius, more disparium aurigarum in diuersas hinc inde partes detrahendo uehiculum, tandem, prout eventus rerum edocuit, in precipitium deuium uectores et sarcinam deduxerunt! 16. Haec uos latere non credimus, fuisse precipuam immo solam originem morbi presentis et causam, quae soldanum Babiloniae continuis etiam postmodum iniuriis lacessitum, ad querenda remota suffragia et desperanda coegit. 17. Haec quandoque Cismarinorum nobilium animos a deuotione seducunt, qui diuinitus inspirati ad reliquiarum illius terrae salutem, uotis ardentibus, aspirabant: qui quamquam res et personas exponerent pro presidio predictis, propterea tamen ab ipsis iniuriari indignum estimant, et reputant indecorum, dum ipsorum conuentiones et treugae delusoriae reputantur. 18. Propter quod istud quam primum ad sollicitudinem nostram gerentem curam negotii Transmarini peruenit, peruigili semper et continua meditatione pensauimus, qualiter cum terrae primatibus, licet nobis et nostrae fidei uel propter perfectae discordiam inimicitiae palliatæ uel cuiusdam amicitiae, federa traheremus: et potissime cum soldano Babiloniae, qui, terrae discidio pena maior et huiusmodi locorum habilitate uicinior habebatur. 19.

Ad hoc nos nullius familiaritatis intrinseca prouocauit affectio, sed cauta prouisio, ne desperare predictos necessario cogeremus, et ne particularia metuendo discidia, suas conflare potentias cogerentur in unum, priusquam, temporis habilitate captata uel pacatis Ytaliae partibus, inter nos et Ecclesiam unione secuta, quam teste supremo iudice semper ambiuimus, quam hostis humani generis nostri et discriminis audius subtiliter hactenus impediuit, unanimibus uotis et uotiuus presidiiis uacare possemus. 20. Igitur uestra circumspectio non miretur, si Romanum principem et Hierosolimitanum ad iracundiam uehementem tam sinistri casus infesta relatio rei quadam indignitate commouit. 21. Nobis et ceteris terrae principibus ecclesiasticis et mundanis in Cismarinis deliciis existentibus, barbarorum nequitia fides nostra deprimitur: crudelitatibus hostium fidelium reliquiae trucidantur; peruersorum iniuriis pulchritudo Templi Dominici deturpatur; illic pro fide nostra seruanda confligitur, et a uincentibus palma uictoriae et a cadentibus corona martyrii hylariter expectatur iustitiae: nobis Bella geri placuit, nullos habitura triumphos! 22. Ideoque quantumlibet essemus iusta turbatione commoti, per predictum fratrem S., nuntium eiusdem patriarchae, quem tam Cismarini quam Transmarini discriminum radix et causa non latent, et quem uelut preclarum membrum Ecclesiae nulla labes suspicionis aspergit, certam et acceptabilem formam pacis accipere credebamus; quam, saluis nostris et Imperii nostri iuribus, quae minorare sacrilegium credimus, tolerare possemus: per quam etiam, licet uulneratum, uniuersalis negotii commodum uix amodo tempestiuum accipiat, utile tamen et necessarium forsitan reportabit.